DE PECULIARI HYDROPIS SPECIE EX DEGENERATIONE RENUM...

Giovanni Battista Fortis

DE PECULIARI HYDROPIS SPECIE EX DEGENERATIONE RENUM GRANULOSA.

Dissertatio Inauguralis

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

PERILLUST. DIRECTORIS AC PRAESIDIS FACULT. MEDICAE,

SPECTABILIS D. DECANI,

NEC NON CLARISSIMORUM D. D. PROFESSORUM

UT DOCTORIS MEDICINAE LAUREAM CONSEQUATUR

IN C. R. UNIVERSITATE TICINENSI

AUSPICE

D.re THEODORO HELM

Clinicae Medicae Therapiaeque Specialis Prof. P. O.
Directore Nosocomii etc. etc.

UNA CUM THESIBUS DEFENDENDIS

publicae disquisitioni offerebat

FORTIS JOAN. BAPTISTA

EX MONZAMBANO PROV. MANTUÆ

TICINI REGII
Ex Typographia Bizzoni
1847.

A

D. ALFONSO FORTIS

SUO BENEMERITO ZIO

IL NIPOTE RICONOSCENTE.

258

DE PECULIARI HYDROPIS SPECIE
EX DEGENERATIONE RENUM GRANULOSA.

Introductio.

Recentiori aevo a pluribus Angliae Galliaeque medicis nova distinguebatur hydropis species, a degeneratione renum granulosa repetenda, de qua in praesentiarum verba pro viribus facere mihi in animo est. Haec enim species, uti Tissotius innuit, suas habet causas, symptomatibus pathognomonicis designatur, speciales admittit indicationes therapeuticas; atque quomodo ex investigationibus huic scopo institutis eluxit ultra fidem frequentior occurrit in praxi; unde hujusmodi hydropis speciei studium non modo theoricam illustrationem verum etiam practicam constituit necessitatem.

Apud veteres recentioresque auctores quamplures reperiuntur observationes, quae ad hanc adfectionem referri videntur: est nempe conditio renum morbosa, sunt urinae albumine scatentes atque alia symptomata, quae ipsi leviter nimis attigerunt quin formalem inductionem ab iis inferrent.

Ita Bonet loquitur de ascyte ab adfectione provocata quae in renum voluminis et consistentiae imminutione consistit — vitio renum flacidorum — (Sepulcretum anatom. lib. III). Alibi mentionem habet de paupere quodam hydrope interemto, in quo autopsia renes detexit lactis ad instar albicantes: quae res Schenkio quoque contigit in homine ascyte decesso. Kruickshauk adfirmat quod in nonnullis hydropis speciebus urina coagulabilis tamquam serum sanguinis se offert, dum in illis a visceribus morbose adfectis procedentibus neque caloris neque acidi nitrici ope coagulatur. (Appendice dell' opera di Rollo sul Diabete) In quadragesima Morgagni epistola sequentia leguntur: — Laterales ventriculi non sine aqua intro effusa ut in thoracis cavo, sic etiam in ventre aqua non defuerat. Ren uterque inaequali erat superficie et maculis albis illic qua subsidebat variegata.

Progressu temporis Chapotain, Blackall, Wells, Christison, Gregory, Rayer, Andral, Tissot aliique medici perillustres observationibus consulto peractis extra omnem dubitationis aleam adfectionis de qua loquimur existentiam posuerunt. Quum porro ad hanc pathologiae partem excolendam enixe prae ceteris Brightius medicus Anglicus institerit honoris

causa morbus Brighti compellatur ; ab Italis vero *Albuminuria*, princeps enim hujusmodi aegritudinis phoenomenon ab albumine repetendum una cum urinis excreto.

Nosographia.

E nonnullis symptomatibus nec non ex anatomicis perquisitionibus absque ullo dubio patefactum fuit hydropem Brighti arcto in nexu cum peculiari renum degeneratione vigere. Sed possibile ne erit nobis hujus morbi diagnosim statuendi talique modo hanc hydropis speciem ab iis ex alio fonte promanantibus bene discriminandi? Huic quaesitui haud rectius responderi potest quam symptomata omnia quibus adfectio illa stipari solet, causas, alterationesque autopsiis detectas ad trutinam revocando.

In primis itaque habetur hydrops, symptoma quod sub formis diversis exhibetur; interdum scilicet ascytis, saepius anasarcae nunc quoque etsi raro levis ad pedes, vel manus, vel faciem oedematis adspectum assumit. Hae serosae effusiones quae a morbo Brighti productae in textu cellulari aut in peritonoei cavitate efficiuntur utplurimum comitantur quandoque autem praeveniuntur a dolore in regione renali

soeviente vel saltem a sensibilitate quadam in illa parte abnorme quam pressio sat fortiter peracta adaugere vel obtumescentem ciere valet.

Praetermittendum tamen non est ad hypochondrium dexterum vel ad epigastrium, vel circa umbelicum aegrotantes nonnunquam dolore vexari: neque desiderantur casus in quibus nullus prorsus adest dolor contrectatione quoque rudiori ad lumbos minime provocandus.

Urina insuper quae copia justo minori excernitur modificationes refert maxime adtendendas relate ad colorem ad pondus specificum ac speciatim relate ad compositionem. Re quidem vera in morbi exordio precipue urinae rubrae adparent ita ut interdum vera adsit haematuria: tunc in vase hypostasis conspicitur floculis filamentosis coloris rubescentis constituta, quae a principio sanguinis fibroso provenire videntur. Morbi progressu urinae fiunt saepius flavo-pallescentes, vel flavo-viridescentes, seri non depurati adinstar, semper tamen turbidae.

Pondus urinarum specificum quod in homine bona quidem sanitate fruenti constituto a 1024 ad 1026 adnotatum fuit, in individuis Brighti adfectione laborantibus a 1013 ad 1018 solumodo evehitur. Quoad composi-

tionem urea ceteraeque solidae partes quibus urinae elementa conficiuntur minori quam par est quantitate suppeditantur. Sed phoenomenon quod nostram prae primis sibi advocat adtentionem est albuminis in urinis praesentia. Hoc principium vel acidi nitrici vel deutochlorureti hydrargiri ope detegi potest; tutius tamen faciliusque propter calorem: ubi enim lampadis flammae aut carbonibus ardentibus urina exponatur fiala vel cochleari quodam contenta, nebula illico albicans conspicitur quae circa vasi parietibus in primis evoluta pedetentim, increscente calore, totum inficit liquidum donec ebullitionis tempore albumen sub pelliculae vel crustae albescentis forma concretum liquidi superficiei innatat; ac postremo floculis plus minusve densioribus discretum sensim sensimque fundum petit.

Praeterea non modo urinarum secretio et renes sed aliae functiones aliaque organa in morbo Brighti a norma recedere videntur, hinc plura oriuntur morbi ipsius phaenomena. Inter haec recensenda venit febris quae acutum potius morbi decursum denotat, minimeque ideo, quum lente iste progrediatur, advertenda. Prouti porro albumen in urinis plus minus abundat, minori quam par est quantitate in sero sanguinis invenitur, unde jure ac merito

inferri debet albuminis in urinis praesentiam a simplici seri in hoc fluidum transgressu pendere. Diarrhoea quoque et symptomata cerebralia a cephalalgia ad apoplexiam usque haud infrequenter in Brighti adfectione observantur: quae adfectio insuper facili negotio cum membranarum serosarum ac praeprimis pleurarum inflammatione, cum cordis vel jecuris laesionibus indolis diversae, sat saepe complicatur; qua de re in hisce casibus praeter phoenomena recensita et illa sunt perpendenda quae superventis complicationibus spectant.

Dolor itaque ad regionem renalem, urinae rubescentes vel flavae, semper vero turbidae, albumine scatentes, serum albuminoso principio plus minus depauperatum, febris, ac denique diarrhoea complexum phaenomenorum constituunt quibus renum adfectio, atque hydrops ab illa procedens distinguitur.

Hujusmodi hydropis decursus haud idem semper est: interdum enim illico post causarum excitantium influxum aperte se prodit; alias e contra lente incedit, insidiasque parat; adeo ut tunc quum penitus subflammmatam putaveris, saepenumero, quin novae accedant causae, iterum iterumque gravioribus stipatam phoenomenis in scenam conspicies.

Forma praeprimis oedematosa summopere

inconstans evadit, brachia enim, crura coxaeque de die repente oedematosae fiunt, vel si omnes illae partes una simul aegrotant aliae imminuuntur aliaeque volumine increscunt.

Aetiologia.

Uti causae ad Brighti morbum disponentes criminantur precipue sexus, aetas atque cachexia: Quoad sexum notandum est mares prae feminis adpeti : 3 : 1.

Etas magis huic aegritudini obnoxia virilis habenda a trigesimo nempe ad quadragesimum quartum annum: quamvis et caetera vitae stadia immunitatem non praebeant.

Praeter haec recensentur cachexia, tubercula polmonum, opificia, ex quibus individui locis humidioribus atque depressis degere coguntur, uti essent textores et sellarii, vel ex quibus atmosphaerae vicissitudinibus homines per annum exponuntur quomodo sunt lotrices, aurigae, milites et sic porro. Post enumeratas causas disponentes illae recensendae veniunt quae directo modo Brighti morbum excitare valent, quaeque ideo excitantes seu efficientes passim ab auctoribus nuncupantur.

Frequentissime aegrotantes asserunt se frigori humiditatique obtulisse vel aquae frigidae

copiam excedentem aestuante corpore hausisse. Hisce causarum speciebus malum regimen diaeteticum quandoque etiam ciborum defectus addendi sunt, ehu! saepe nimis hostium more in pauperes saevientes. Postremo ciborum ac speciatim spirituosorum abusus morbo de quo agitur haud raro originem praebent. Ille quoque anasarca, qui tam facile ab exanthemate scarlattinoso provocatur, nec non hydrops quo mulieres utero gestantes frequenter laborant quibusdam in casibus, annuentibus praeclarissimis Alison atque Rayer, cum urinis albumine scatentibus manifestantur ideoque ab adfectione renum granulosa progenerari videntur. Caveant igitur practici ne, dum sibi nimis cunctantibus morbosae illae formae inludunt, in exitum ruant funestum qui saepissime ab hydrope cum urinis albuminosis paratur.

Prognosis.

Si Doctori Brightio fides omnino esset habenda hocce morbo laborantibus certa quidem mors semper instaret: quae enim, ille ait, consequuntur interdum sanationes vel integrae non sunt vel in recidivam quamprimum collabuntur donec extremum superaccedat fatum.

Tristissimae Brighti prognosi Christison

Gregoris Tissot aliique plures propriam experientiam opponunt, ex qua patet unum saltem pro quatuor individuis Brighti morbo correptis ad perfectam constantemque, salutem revocari posse; quod emolumentum ne quidem sperare licet in effusionibus serosis ab hepatis cordisque, vasorumque majorum adfectione aliqua scaturientibus. Ceterum quae a practicis quotidie de hoc morbi genere observationes fiunt primum ejus praecipue stadium clariorem in lucem proferendo reconvalescentium numerum augebit in dies. Levis oedema, vix non praegressis temporibns a medicis despectus, ubi dolore lumbari, urinisque albuminosis comitetur, nec non frigoris actione in nexu causali teneatur aptiori methodo activa illico deinceps tractabitur statimque ab initio granulosam renum degeneratione medicus praevidere ac praecavere valebit.

Nihilo tamen secius istiusmodi adfectionis judicium prognosticum summopere anceps emittendum speciatimque casibus illis in quibus morbus longo jam temporis spatio viget, ad totam ferme corporis compagem diffusus est, aliorumque viscerum alteratione complicatur. Si aliqua phlogosis exempli gratia in Brighti morbo laborantibus accenditur infausti semper augurii esse solet, tum ex intensitatis gradu ad

quam facillime evehitur, tum ex celeritate qua evolvitur; ita ut pneumonitis aut pleuritis, aut erysipelas aegrotantium vitae frequentissime finem imponant.

Therapia

Indoles symptomatum quae sub morbi initio evolvuntur, natura causarum quibus adfectio ista provocatur, promptaque adparitio effusionis serosae quae sequitur illam , antiflogisticorum usum in primis practicis suadere debuerunt; re quidem vera hacce remediorum classe usi sunt medici Londinenses atque Edimburgenses: in posterum quum nullum ab illis emolumentum obtineatur diuretica atque purgantia pharmaca administranda sunt. Hisce auxiliis therapeuticis non inutile est balnea addere vaporosa, ac derivantia sic dicta; illorum enim utilitas ab experientia, istorum autem ab analogia omnibus clarissime patet.

I. Balnea vaporosa — Non injuria balnea tamquam princeps remedium in capite ponimus; hisce enim vis inest causam morbi frequentiorem nempe frigus atque humiditatem avertendi: horum ope praestantissimus Rayer ex duobus individuis recenter Brighti morbo

adfectis alterum extemplo ad pristinam sanitatem in integrum restituit alteri porro haud spernendum attulit levamen.

II. Phlebotomia — Nisi practica observatio phlebotomiae utilitatem sub morbi initio demonstraret a sanguinis conditione erueretur necessitas: tunc enim sanguis ipse e vena eductus cothennam refert pleuriticam haud minus evolutam quam in rheumatismo acuto observari solet. Sub bono igitur phlebotomiae influxu omnia symptomata cito mitiora fiunt: urinae excernuntur minus sanguineae minusque coagulabiles, serum effusum absorbetur, doloresque locales intensitatem amittunt. Phlebotomia generalis in morbi primordiis praecipue indicatur; in subjecto constitutione plethorica ac valida praedito iterum institui queit; ceterum ulterior hujus auxilii adplicatio a levamine quod aeger experitur inducitur.

Phlebotomia localis hirudinum ventosarumve ope peracta utpote generalis, de qua diximus, complementum consideranda venit, tunc quum regio lumbaris dolorum vel acutorum vel obtumescentium, sedes est. In aegrotantibus longo jam temporis lapsu adfectis, in quibus etiam dolores soeviunt renales chronicam tunc phlogosim indicantes phlebotomia tantum localis optimo consilio peragitur.

III. Derivantia — Ingravescente morbo vesicans ad permanentiam vel cauterium lumborum regioni admota quammaxime indicantur; nulli enim non patet suppurationem in longum productam, prope organon chronica phlogosi detentum atque in degenerationem jam nitens sensim sensimque optatam afferre resolutionem.

IV. Diuretica — Diureticorum in cunctis hydropum speciebus praestantia adeo a communi practicorum consensu commendatur ut de ea re ulterioribus verbis minime indigeamus. Inter haec Brightio arridet cremoris tartari squillae ac digitalis usus: a Rayer tamquam efficaciora notantur decoctum graminis nitratum, acetas lixiviae, sed praeprimis decoctum ex radice cochleariae armoraciae quae radix praescribitur usque ad unciam et semis colaturae librae unius.

V. Purgantia — Diarrhoea quae in morbi decursu utplurimum accidit malos purgantium effectus nobis demonstrat. Qua de re hujusmodi remedia vel omnino rejicienda vel cautissima manu in usum ducenda sunt. Balnea igitur vaporosa, venaesectiones generales ac topicae, diuretica atque inter haec cochlearia armoracia in prima morbi periodo: venaesectio localis si dolor adsit localis, diuretica ac

derivantia in secundo stadio therapeutica auxilia sunt quae contra Brighti morbum ars medica suppeditat.

Autopsia.

In omnibus individuis propter hydropem cum urinis albuminosis decessis Brightius ceterique medici qui de hoc morbo scripserunt manifestam semper renum alterationem invenerunt, cujus forma et gradus inter se pro vario morbi stadio plus minus diferre videbantur. En igitur juxta Rayer mutationes diversas quas in Brighti morbo renes offerre solent.

1. Incrementum voluminis ponderisque quibusdam in casibus ad maximum gradum evectum. 2. Alias vasorum renum superficialium observatur injectio, ac praeprimis echimoses quarum praesentia marmoreum veluti colorem renum superficies assumit: rarissime vero corticalis substantia sanguine congesto turgida adparet. 3. In renibus granulatis illustris Rayer plures invenit laesiones a crhonicis phlogosibus productis: magnas scilicet granulationes albicantes, atque foveolas interdum brunescentes ad istius visceris superficiem. Tubularis substantia utplurimum hepatis colo-

rem refert. 4. Corticalis substantiae anaemia prope non in casibus omnibus supereminet: unde maxima adest discrepantia illius inter substantiae squallorem ac ruborem intensum quo tubularis substantia refulget. Vix non semper caeruleus color in extremitate renum adnotatur. 5. Sed character anatomicus in hac adfectione notatu dignissimus a conditione renum granulosa constituitur. Jure ac merito Brightius hanc adfectionem in suo exordio tamquam renalis structurae exagerationem consideravit, nam parvae illae circonvolutiones quae in externa renum superficie adparent huc illuc incrassantur, punctulaque constituunt magis conspicua mox albicantia vel subflava acusque caput volumine exaequantia. Interim quum morbus ad ultimam processerit periodum sedulo examinanti punctula illa tubulari substantiae adhaerere videntur; neque sphaericam referunt formam, sed striarum ad instar aliquantisper irregularium secus conorum tubularium decursum disposita sunt. In internas renum aeque ac perifericas partes granulationes, de quibus agitur, reperiuntur, saepenumero autem in superficie frequentiores evadunt. 6. In morbo Brighti glandulae renum pallidiores fiunt prouti adaugetur anaemia sub provectiori morbi stadio peculiarem assumit adspectum, atque

tenuissimis aquae guttulis non immerito comparari sinunt: eodemque tempore ingens vesicularum parvissimarum numerus aliis magis evolutis intermixtarum circa renum superficiem advertuntur. Inde patet glandulas renales in formam cisticam aquirendam niti. 7. Arteriae renales nihil notatu dignum praebent; venae frequentissime fibrosas quasdam concretiones albescentes sed non adhaerentes obtulerunt; venae porro quae corticalem perripiunt substantiam vix lentis ope distinguuntur.

Ex omnibus quae hucusque retulimus nobis concludere licet adfectionem renum granulosam a speciali renum phlogosi progigni. In prima enim morbi periodo renes volumine ac pondere increscunt, colorem magis intensum veluti nigrescentem assumunt: quae porro ingravescente morbo, alterationes, degenerationesque occurrunt a phlogosi chronice decurrente directo modo prosilire videntur.

FINIS.

THESES DEFENDENDAE.

1. *Venam portarum chyliferi potius quam venosi systematis participem.*

2. *Pathologica vesaniae conditio in cerebro admittenda.*

3. *Inter scrophulam et diathesim tuberculosam nulla differentia.*

4. *Medico non licet aegrotantes mendaciis fallere.*

5. *Dubitatio in scientiis ad eruendam veritatem non parum confert.*

6. *Ubi major inflammatio, ibi minor exitus:* Celsus.

7. *Arthritis rheumatica acutissima fere semper a cardio-arteritide alitur.*

8. *Oculi inspectio ad internarum passionum diagnosim illustrandam conducit.*